

**05**

**A**

**1457**









IN NOMINE JESU!

ADAM MISERRIMUS,  
CHRISTI PATIENTIS TYPUS,

PRÆSIDE

*Viro maxime Reverendo & Excellentissimo*

**DN. WILHELMO LYSERO, S.S.**

Theolog. Doctore, & inclytæ Academiae Witebergensis Professo-  
re Publico, Alumnorum Electoralium Ephoro, & Ecclesiæ Misnensis  
Canonico, Patrono, Præceptore & Promotore suo sub-  
missè semper venerando,


*Respondente*

**M. JOHANNES FRIDERICO VOLHARDO,**  
JENENSI,

*in publica Disputatione ad contemplandum*  
*propositus,*

D. XXIIIX. Martij, horis & loco ordinariis.

*Handwritten signature and date: H. 1689*



WITTEBERGÆ

Characteribus Johannis Röhneri, Acad. Typogr.  
ANNO MDCLXVI.





ADAM BRUNNEN  
CHRISTOPH BRUNNEN

Dr. Wilhelm Lysero, S.S.

Theolog. Doct. & Univ. Prof.  
in Halle a. S. an der  
Univ. u. Landesbibliothek



M. JOHANNES BRUNNEN  
VOLHARDO

OS. A 1457

Christoph Brunnen  
Halle a. S.







I. N. J.

# PROOIMION

## THESIS I.



**M**agnus ille Gentium Doctor Paulus, in Clave Theologiæ, prout Eiusdem ad Urbem Dominam scriptam Epistolam eruditi appellare solent, ad principalis totius Scripturæ & Theologiæ nostræ objecti, quod est Christus moriendo peccatores reconcilians fideq; justificans *Rom. V. 1. 8. 11.* demonstrationem, Typicam quoq; Theologiam multum conferre, clare satis ostendit, quando *c. V. 14.* ita inquit: *ὅς (ἀδάμ εἰς ἀνθρώπου v. 12.) ὅτι τύπος τῆ μέλλουτος* B. Augustinus à τὸ μέλλον videtur vocem hanc deduxisse quando *L. 1. de Peccatorum meritis c. 11.* ita exponit: Qualis fuit Adam, tales post se genuit filios, puta peccatores, mortales, miseros. Verum contextus, scopus, antecedentia & consequentia, atq; parallelismus *I. Cor. XV. 45.* ostendunt ὁ μέλλων, de quo hîc agitur, Christum, Adamum secundum, illumq; alterum itidem unum hominem *v. 15.* esse.

II. Τύπος proxime signum est & vestigium quod τὸ τύπον reliquit *Job. XX. 25. 1. 2.* Si elaboratio accedat, pingendo vel sculpendo certam formam accipit, atq; figura fit certam aliquam rem representans, *Act. VII. 43.* 3. Hæc si subsequatur alicujus rei imaginem referat, τύπος exemplar, signumq; fit, aliud quid porro significans. *Heb. VIII. 5. Act. VII. 44.* non tantum affirmativum ad faciendam, sed & negativum ad fugiendum propositum. *I. Cor. X. 6. 11.* 4. Inde primaria Theologica significatio hujus vocis porro descendit, quando significat rem in V. T. descriptam, ut imago sit ejus, quod in & à Christo in N. T. perficiendum. In qua significatione Adamum Christi Typum hîc dici, non omnes concedere volunt, cum tantum quædam comparatio inter Christum & Adamum.





instituat, & quidem dissimilium magis quam similitudinem ergo quandam in genere, non typum specialem produci censent.

III. Et sane Christi typum Adamum, quando ut fons omnis mali ceu h. l. consideratur, haud quidem esse censemus: 1. *Ratione divinae institutionis*, qui typi tantum eum in finem à Deo introducti, ut figura Christi essent, ad illum usq; continuandi, & per illum implendi sicq; abolendi; quales fuerunt sacrificia post lapsum instituta: & dein cum in Testamenti forma hoc foedus pangeretur, totus cultus Leviticus & ad illum respiciens populi illius confederati regimen. Nec 2. *Ratione divinae praedeterminationis*, quam Cornel. à Lapid. hic fingit statuens, *Deum nostrum demeritum in voluntatem Adami deposuisse, tum ex libertate quodvis faciendi, tum ut Adam typus Christi in quo omne nostrum meritum deponeretur, esset. Cum per praescientiam conditionatam omnia praeviderit, & secundum eam voluerit & decreverit Adamum & omnia Adami esse propter Christum, esseq; Christi typum, ut Christus esset operum Dei principium, exemplar & finis.* In quo Jesuitae discursu nihil sani. Exemplar quod in divinae sapientiae infinitudine, intrinsecus in ipso intellectu, Deiq; adeo essentia est, in seipsa cunctorum formam contemplan, ipse extrinsecus quaerit: bonum & per oppositionem boni cognitum malum confundit: opera Dei & Diaboli permiscet quod ad Deitatem in sese spectat, ad incarnationem refert: Incarnationem in scientia & decreto Dei priorem lapsu fingit: Scientiam conditionatam non satis explicat: Determinationem rerum praescitarum, in rebus sub conditione praevisis, divinum decretum facit: demeritum & peccatum nostrum in Adamum Deum ex libertate potestatis quodvis faciendi, deposuisse dicit; quae ipsa depositio cum decretiva praecedente determinatione Deum causam omnis mali & peccati constituit.

IV. Sed 3. *per singularem directionem typus est: non generalem illam, qua malum corrigit & ad bonum finem dirigit: quod ipsum malum in se, boni typus esse non potest. Nec à priori quatenus in permissione mali, ratione circumstantiarum illud ita dirigit, ut ratione eventus subsequenti, typus Christi patientis fiat, quo pacto Jonas Christi typus atq; signum Matth. XII. 39. Verum à posteriori: quatenus*



genus videlicet ex liberrima voluntate Divina Majestas juxta infinitam sapientiam, in constituendo contra lapsum humani generis per Salvatoris mortem remedio, sibi ipsi lapsum hunc ut exemplar proposuit, juxta quod per contrariam licet viam, servata tamen analogia elegantissima, medicina conficeretur, modo admirando & per creatum intellectum haut quaquam indagando: ut ita Basiliscus Paradisiacus sui ipsius imaginem, in speculo quasi conspiciens *Job. III. 14.* per illam, quod & alteri accidere authores ferunt, enecaretur. Inde *ὁμοίωμα* & similitudo orta, ut Deus suum filium mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato damnet peccatum in carne *Rom. VIII. 3.* Inde etiam ortus hic Christi typus, ut ipse fons omnis mali & miseriae in humanum genus exundantis, Adamus; figuram eo ipso nobis praeferat fontis contrarii, fontem illum & omnia inde derivata tollentis.

V. Qui Typus certè elegantissimus simul atq; utilis valde est, Petitus siquidem est ex proxima, imò illa ipsa *materia*, in qua Antitypus occupatus, & quo cuncta in Antitypo sunt directa. *Forma* & modus Typi quidem videtur ad exemplar negativum referendum esse, cum in summe contrariis bono sc. & malo, typus & antitypus hic inveniuntur: attamen certo modo affirmativè à DEO, sibi ipsi quasi propositus, ut dictum fuit. Hinc quidam censent tantum *πεντασιον* & quidem *v. 12.* proferri, quod Adam suis fons mortis sit, *ἀπόδοσιον* vero, quod Christus credentibus fons vitae sit, non esse expressè positam, vid. *Gl. β. l. 2. Philol. Part. 1. Tract. 2. f. 4. art. 1.* Alij *v. 18.* typum explicari putant, tresq; versus per parenthesis interpositos *amer. in Myrothec.* Verum si quis rectè consideret: negativa ab Apostolo adducta, non simpliciter illud tollit in quo comparatio instituitur, sed potius idem auget, per *πολλῶ μάλλον.* *Finis* vero & utilitas typi hujus longe maxima, siquidem proponit nobis summam miseriam humanam, sicq; innatum homini fastum per seriam contritionem deprimat: & ad agnitionem morbi, medelam alioqui respuentis, deducit: dignitatem è contrario antidoti per antitypum, qui solus hoc praestare poterat, allati, reddit non tantum splendidiorum; sed & animæ in tanta miseria trepidanti longe gratiorem, spiritualemq; appetitum istud ipsum desiderandi, & oblatum arctius apprehendendi excitat.



VI. Omnino ergo cum hoc tempore ex Ecclesiæ antiqua con-  
 ſuetudine *De Redemptione generis humani Paſſione & Morte Chriſti*  
*peracta*, diligentiffime in templis agatur: ad augendam pietatem,  
 ſanctosque de iſthac materia conceptus efformandos, perquam  
 conveniens erit; ſi Paſſionis Chriſti ille *typus qui & cauſa extitit, &*  
*per paſſionem iſtam expiatus fuit*, vivis quaſi coloribus in ſcholis ex-  
 hibeatur, h. e. ſi Adam fons mali in ſua iſta miſeria, in quam à Sa-  
 tana ſeductus abuſu ſuæ libertatis ſeipſum, atq; ſecum omne ge-  
 nus humanum præcipitavit, conſideretur. Cujus graviffimi  
 morbi *τύπος* ſi perpendatur, *ἐν αὐτῷ* fuiſſe eum certum eſt in  
 illa mora quæ lapſum & promiſſionem ſeminiſ interceſſit, & cumpri-  
 mis *Gen. III. 7. & 8.* continetur. In illo ergo ſtatu & conditione  
*Adamum* nobis jam ob oculos ſiſtamus.

## ΕΞΗΓΗΣΙΣ,

VII. Fundamentum noſtræ Traditionis in Typi huius Apo-  
 ſtolica explicatione conſtituimus; ubi Adamum primum conſpi-  
 cimus. 1. Ut *ſubjectum unum*, à quo omnes homines per genera-  
 tionem dependent. 2. Ut *cauſam deficientem primam*, peccatumq;  
 introducentem. 3. *Modus* eſt transgreſſio per inobedientiam.  
 4. *Emanatio* fit ad omnes homines ab Adamo deſcendentes. 5. *Eſ-*  
*fectus* eſt graviffima corruptio ad mortem & damnationem uſque  
 pertingens. In hac Adami primi imagine Chriſtum Adamum  
 ſecundum repræſentari videmus. 1. Ut unicum Mediatorem, à quo  
 omnes homines ſalyandi dependere neceſſum habent. 2. Ut cau-  
 ſam ſalutis primam, eam promerentem & adducentem. 3. *Modus*  
 eſt obedientia uſq; ad mortem crucis, ſub Titulo inobedientiæ  
 ſubeunda, ex parte nempe Dei ob imputationem omnis humanæ  
 inobedientiæ, ex parte hominum ob falſam quidem accuſatio-  
 nem, realem vero executionem. 4. *Parta* ita omnibus hominibus  
 ſalus eſt, qui poſſent & deberent per fidem in Chriſtum illius par-  
 ticipes reddi. *Eſfectus* 5. eſt corruptionis, mortis & damnationis  
 ſublatio, per Reconciliationem, Juſtificationem & Salvationem.  
 Quæ & alia *συγκρίτως* è diſſentaneis ad ſimilitudinem redactæ  
 membra, ex Paulo & aliis Scripturæ dictis plenius à noſtris in  
 doctrina



doctrina de Adæ lapsu, & Commentariis super Genesin & Pauli Epistolas pertractantur.

IIX. Nostri instituti ista hic repetere jam non est, quippe qui non acturi de ipso lapsu, & miseriæ in humanum genus introductione: Sed qualis humani generis postquam plene perpetratum peccatum, ita ut non individuale sed totius speciei seu generis humani delictum esset, & jam evigilare inciperet, status fuerit, consideraturi sumus. *Terminus ergo à quo* nostræ Tractationis non est serpentis Tentatio, nec Evæ prima de verbo Dei dubitatio, quæ Transgressionis initium; nec ipsius solius Manducatio, vel ad manducandum mariti incitatio: peccatum enim, ut fieri solet, quia in actu adhuc erat, ne ipsa quidem sentiebat (Vide hæc de re aureum B. Lutheri super Genesin Commentarium) atq; si ulterius malum hoc progressum non fuisset, individuale mansisset, cum origo generis ab Adamo dependeret, nec innocens cum peccatrice genus humanum propagaturus fuisset. Sed postquam ab Adamo ad Evæ persuasionem à verbo ad incredulitatem seducto, itidem actu externo plane patratum idem crimen fuerat, ut actus iste esset jam totius speciei monadicæ, in duobus individuis (reliqua omnia individua, ratione conjunctionis ad generationem, in qua ex Dei institutione unum constituunt, continentibus) existentis. *Terminus ad quem*, est primus actus gratiæ divinæ, erga genus humanum, qui per verbum promissionis, in & erga totum genus humanum, tunc itidem in duobus primis individuis integre considerandum, sese exseruit.

IX. *Mora illa intermedia* miserrimum Adami totiusq; generis humani nobis exhibet statum, momento tantum distantem, à statu longe miserrimo illorum singulorum individuorum qui æternis gehennæ flammis vindicis Dei voce adjudicantur. Peccatum illiusq; primus parens Diabolus plenum dominium super ipsos erat adeptus; omni gratia ejusq; sensu homo erat destitutus, sicq; quod sæpe dictum longe miserrimus. Ut ergo umbram illam hominis & *σμελετόν* penitissime perspiciamus, consideremus. 1. In partibus essentiæ & per unionem suppositum ac personam humanam constituentibus. 2. In facultatibus animæ essentialibus & membris corporis integrantibus. 3. In perfectionibus utriusq; naturalibus. 4. In donis



donis gratiosis super naturalibus, oppositisq; istis succedentibus. Quomodo & quousq; Adamus typus Christi patientis in singulis fuerit, vel esse possit, breviter etiam annectemus.

X. De essentia & persona humana post lapsum quando agendum, ante omnia meritò Manichæismum longissimè removemus. Statuerunt enim Manichæi peccatum esse substantiam per se viventem à malo principio creatam, & cum Natura hominis bona confusam & permixtam. Adeoq; duas cuig; esse animas, duasq; mentes separatas, quarum una cum altera pugnet. Vid. Aug. l. 19. Cont. Faust. c. 22, Epiph. Her. 66. Nos ex Form. Concord. Anathem 7. Art. 1. Rejicimus falsum dogma Manichæorum, cum docetur: Peccatum Originis tanquam quiddam essenziale atq; substantiale à Satana in Naturam esse infusum & cum eadem permixtum, quemadmodum venenum & vinum miscetur.

XI. Removemus etiam à nobis longissimè Flacianismum; Flaciani namq; secuti authorem suum Matthiam Flacium Illyricum (alterum præteriti seculi Origenem) statuerunt, peccatum Originis esse ipsam substantiam Humanam, imo præstantissimam Hominis corrupti partem Animam nempe Rationalem, & potissimum Nobilissimas ejus duodeces Intellectum nimirum & voluntatem: ut jam post lapsum inter Naturam ac substantiam Hominis & inter Peccatum Originis, nullum amplius sit relictum discrimen. Contra quem errorem cum eadem Concordiæ Formula, credimus, docemus & confitemur, quod illud dogma nullum videlicet inter Naturam hominis corrupti & inter peccatum Originis esse discrimen, cum præcipuis fidei nostræ Articulis (de Creatione, Redemptione, Sanctificatione & Resurrectione) pugnet neq; salvis hisce articulis stare possit, Atq; proin Flacij illum furorem omninò itidem rejicimus atq; damnamus,

XII. Nec tamen Victorini Strigelij Synergisticam sententiam in Colloquio Vinariensi Anno 1561. propositâ approbamus; sed syllogismi istius (cujus Minorem Flacius negaverat. Peccatum Originis est Accidens) Majorem simpliciter negamus, Nullum accidens potest corrumpere substantiam. Contrarium ejus in ipsis Physicis verum, in omnium enim causarum genere, si efficientes excipias, non substantias substantias, sed accidentia substantias corrumpere solent: Nec substantiæ immediate per seipsas sed per qualitates agunt, qua de re audiantur Philosophi. Hoc tamen addimus ex Declar. Form. Conc. p. 653. Hujus questionis, quando queritur qualenam Accidens sit peccatum



peccatum Originis declarationem veram, nullus Philosophus, nullus Pa-  
pista, nullus Sophista, imo nulla humana ratio, ( quæ etiam acutissimi sic  
judicij ) proferre potest: sed ejus explicatio ex sola sacra Scriptura est pe-  
tenda.

XIII. Omnino vero hic distingvendum inter corruptionem  
quæ accidens: & inter substantiam quæ corrumpitur. Substantia quæ  
corrumpitur, vel corrumpitur ratione ipsius Essentia, vel ratione eorū,  
quæ essentiam consequuntur atque inhaerent, quædam quidem levi-  
ter, quædam vero plane intime. *Corruptio ratione substantia fit: Cum*  
*res transit ab Esse ad non esse: atque hæc corruptio vel Physica est*  
*quando materia manente à formâ priore substantiali non amplius*  
*informatur: vel supernaturalis annihilatio, nempe quando in fine se-*  
*culi, mundus cum omnibus creaturis ( exceptis hominibus atque*  
*angelis ) sicut per creationem ex nihilo prodiit, ita etiam per divi-*  
*nam infinitam omnipotentiam in nihilum rursus redigetur.*

XIV. Ad Adamum nostrum corruptum per peccatum, faciem  
quando convertimus: Annihilationem ipsum pro merito fuisse,  
nemo forte negabit. Peccato enim defecit à suo Creatore, à quo  
in suo Esse & conservari dependet: Ergo suo se esse & in illo con-  
servatione privavit: DEO namque manum subtrahente, vultum  
abscondente, spiritum auferente; res terretur ut deficiat. *Ps. CIV.*  
*29. Et conservat DEUS creaturas suas juxta ordinem à se institu-*  
*tum, unam per alteram; at qui omnium creaturarum Dominum*  
*offendit, ille utique omnium creaturarum ministerio atque usu*  
*indignus: indignus imo qui locum adhuc inter eas obtineat. Ve-*  
*rum enimvero annihilatio longe minus quid est, quam ut suffice-*  
*re possit ad peccatricem substantiam destruendam: Beneficium*  
*erit aliquando creaturæ propter peccatum vanitati subjectæ quan-*  
*do annihilabitur, & ita à servitute corruptionis liberabitur. Rom.*  
*VIII. 21. Melius esse non esse, quam extremæ illi corruptioni per*  
*peccatum pro merito subjectum esse, Christus asserit. Mat. XXVII.*  
*24. Peccatum infinitam DEI justitiam læserat: Corruptio ergo*  
*inde orta, & in pœnam infligenda, infinita quoque ut justitiæ sa-*  
*tis fiat, esse debet, quæ tamen per annihilationem finiretur.*

XV. *Mortis pœnam homini si peccaret interminatus DEUS fu-*  
*erat Gen. II, 17. Peccavit Adam & per unum hominem peccatum in*  
*mundum*

B



*mundum intravit, & per peccatum mors Rom. V. 12* Mors accidens hominis est, sed tale accidens, quod hominis substantiam substantialiter corrumpit. Non sane *per annihilationem* sive reductionem in nihilum, quæ *Photinianorum* opinio *Smalc. de divin. Cbrist. c. 13. f. 79.* peccatorumque votum & persuasio quandoq; est: illam enim modo removimus; & partes superstites anima, quæ Spiritus immortalis: corpus quod sensibus etiam post mortem adhuc deprehenditur, aliud ostendunt. Corruptio tamen essentialis est ab esse non esse detrudens; Scripturâ ipsâ hanc phrasin adhibente *Ps. XXXIX, 14. Jer. XXXI. 15. XLIX. 20. non sunt; non ego; non ipsi.* Idque ratione totius compositi, quod illud non amplius est, sc. tale compositum, quale ante fuit juxta vulgatum versiculum

*Post hominem vermis, post vermem factor & horror*

*Sic in non hominem vertitur omnis homo*

Superest post mortem anima humana, sed illa non amplius corpus organicum informat, vivificat, nec actiones rationi congruentes per illud edit. Superest & corpus, sed non hominis corpus, quippe forma hominis essentiali destitutum, verum destructæ arcis tantum residua sunt rudera, priore nomine indigna: figuræ externæ ad tempus aliquid remanet; sed cadaver ex seipso ad aliam deterioresem semper figuram properat. Summatim; post mortem humana natura perit, persona illa quæ per unionem animæ & corporis suum ultimum complementum atq; actum acceperat, non est amplius, & licet partes separatæ supersint, non tamen unitæ sunt in uno supposito, ut in una subsistentia humana natura amplius subsistat.

XVI. Nihil tamen hæc ad Flacianam faciunt controversiam, in qua homo consideratur, prout in præsentem adhuc vivit seculo, ita ut unio animæ rationalis cum corpore organico homini congruente, quæ vel in creatione ex limo aut costa viri, vel in generatione ex parentibus suum initium acceperat, & hominis esse atque Naturam constituerat, non interrupta continetur; sicque præsens substantialis corruptio, quæ non hominem facit, nondum vel adsit vel attendatur: breviter, in qua homo vivus sentiens atque intelligens proponitur. Quod propterea monendum fuit, ne quis hic dissonantiam aliquam fingat, cum Orthodoxia nostrarum Ecclesiarum



fiarumpugnantem : Substantialistas enim quando damnamus, illos intelligimus qui illam corruptionem, quæ per lapsum invec̃ta, in hominibus (renatis quoq;) per totam vitam usque ad mortem hæret, ipsam hominis substantiam faciunt, quod nobis ne per somnium quidem in mentem venit.

XVII. Ad Adamum vero nostrum post lapsum si revertimur, agnoscimus sane corpori in illa mora animam rationalem unitam fuisse, vitalesque actiones obiisse, videt sese & alia, tangit quæ obijciuntur, audit, ratiocinatur: Sed si penitius res consideretur mortuo tum temporis quam vivo propior similiorque fuit. Namque sententia divina, de morte transgressori infligenda, transgressione peracta jam suum vigorem acceperat. Justitia divina executionem ejus ipso momento lapsus instituere potuisset. Veritas idem exigebat. Suspensio executionis tantum intercessit: quam sive quis divinæ liberrimæ voluntati; sive ut potius videtur, filij DEI intercessioni, ascribat, hic quidem, quod præsentem Adami statum attinet, cum neutrum Adamo esset notum, nihil interest. Ipse enim in perpetuo metu mortis substantialisq; destructionis, imo longe gravioris damnationis hærebat. Atque cum historiæ testentur, maleficos quosdam metu mortis, sola mortis sententia audita expirasse, ita quidem ut cum mutatam illam esse acclamaretur ad vitam haut redierint: quid animi Adamo fuisse censendum, cui non ab homine, cujus voluntas mutabilis, sed à DEO ipso dictata vox *Morte morieris*, semper circa aures sonabat, & in ipso corde repetebatur? quis conscientiæ accusantis, attestantis, condemnantis & tantum non semper expirantis angustias verbis explicare posset? quis Dæmonis sarcasmos in illum quem ipse jam totum se possidere, & in perpetua morte se cum detinendum putabat, coniectos, sensibus humanis assequi se posse censeret? Summatim, in extremo agone hærebat, *non erat passus inter ipsum & mortem*, ut David loquitur *I, Sam. XX, 3*. ignotum ipsi erat cur & quamdiu mors differenda foret, atque cum nil sciret quod mortem impediret, eo ipso momento imminentem habebat, continue quasi moriebatur: certus interim etiamsi substantia ejus morte destrueretur, poenæ tamen finem non futurum, sed intolerabilia infinita porro restare supplicia.



XIIX. In hac miserrima Adami atavi tui, tuique ipsius in Adami lumbis existentis, imagine, intuere tuum Salvatorem unicum Christum Jesum, typi hujus figuram exactissime correspondentem, imo plenius longe illam exprimentem, & quod tunc temporis imminebat & propter ipsum suspensum atque tandem remotum fuerat, revera in se suscipientem atque sustinentem. Adspice agonem quem in horto subiit, attende horrorem, ipsosque torrentes Belial ingruentes quos sustinet. Vide morrem quam in cruce patitur: & illam quidem peccatis promeritam divinæque infinitæ justitiæ correspondentem atque satisficientem. Separabatur sanctissima anima per mortem à sanctissimo corpore cui unita erat; idque unione propter utriusque sanctitatem atq; dignitatem longe arctiore quam apud ullum alium hominem esse poterat. Et dissolvebatur per mortem illam, quæ humanam Naturam totaliter & quidem infinite destruere deberet. Sed tamen ut revera mortem gravissimam subiret, animaque ac corpus naturaliter separata essent, vincebat tamen hoc ipso mortem, atque utraq; unita personaliter in persona filii Dei eandem subsistentiam veramq; humanitatem & semel assumptam Naturam unquam porro deponendam, constituiebant (quod in nullius alterius & nudi hominis morte fieri possibile est) atque propter personæ infinitatem, ipsiq; humanitati, per & propter unionem communicatam infinitam virtutem, corruptionem humanitas non videt, *Act. II*, sed eandem quæ alioqui in infinitum extendere sese debuisset, superat atque tollit.

XIX. DE FACULTATIBUS ANIMÆ ESSENTIALIBUS & MEMBRIS CORPORIS INTEGRANTIBUS jam secundo loco, nostrum juxta propositum agendum est; ut ita postquam de iis in unione consideratis, in qua hominis Naturam & Personam constituunt, jam actum; eadem in seipsis perpendantur, & quomodo post lapsum sese habuerint perspiciatur. Duas nos essentielles Adami partes constituimus, quas ejus etiam historia nobis monstrat *Gen. II, 7*. ubi utriusque partis satis clara atque distincta fit mentio. 1. *Corporis* ex limo terræ formati. 2. *Spiraculi vitæ* quod Deus inspiravit in faciem ejus ut esset homo in animam viventem. Tertiam partem quam Fanatici fingunt, distinguendo inter *Ani-*  
*mans*



*animam ac Spiritum* hic non invenimus: nec illam Scripturæ dicta & Orthodoxorum Doctorum phrasés, quas afferre solent, stabiliunt, quippe in quibus vel de hominis regeneratione, ubi novus homo spiritualis à veterè distinguitur, vel de distinctis unius animæ facultatibus, sive intellectus & voluntatis sive superioribus & inferioribus rationalis & sensitivæ agitur. Cumque fanatici spiritu vertiginis acti hæc omnia confundant; & tres illas partes quandoque duplicent, ex interno spiritu salutem educant, illum tamen à damnatis amitti statuunt, nihil certi ex illorum doctrina vel de lapsu Adæ, quem in allegorias transformant, vel de conditione Spiritus in & post lapsum Adæ habere possumus. *Vid. Bericht des Ministerij zu Lübeck von den neuen Prophezen S. 313. & seqq.*

XX. *Animam* Adami quod concernit, habuit illa etiam post lapsum, quia vitam ut ante diximus retinuit, suas *facultates* cum *animæ vegetativæ* ad nutritionem & generationem aptas, tum *sensitive*, quoad externa objecta videt sese nudum, audit vocem Domini, hæc per sensus interiores dijudicat, objecta distincta examinat, memoria quæ contigerant retinet: appetit porro, metuit, fuga de loco in locum libere à seipso movetur, seseque abscondit: Tum tandem etiam *animæ rationalis*, quoad *intellectum* quidem agnoscit sese esse dedecorosè nudum, percipit vocem Dei & per intellectum. *Dianoeticum*, discurret, colligit, ratiocinationemque instituit, *timui quia nudus fui*, ait ad Deum: quoad *voluntatem*, verò quæ ab intellectu fuere dijudicata, vel eligit & apprehendit, quod gratum, ut tenebras, occultationem; vel fugit & averfatur quod ipsi molestum videbatur, idque amoliri conatur, atque istud sine coactione externa, sicque aliquo modo libere.

XXI: De hisce animæ facultatibus, non eadem est Philosophorum sententia, *Averroes, Zabarella* & qui eos sequuntur, statuentes plures formas substantiales in una substantia esse posse, tres distinctas animas in homine constituunt: quod *Latini* ferme omnes negant, & asserunt *unam* tantum in quovis homine esse *animam*, ita comparatam ut inferiores facultates in superioribus contineat: atque has *facultates tres* esse *infimam vegetativam*, (in sese facultatem nutritivam augmentativam & generativam continentem) quæ in plantis; alteram *sensitivam* (in sese sensitivam appetitivam



tivam & locomotivam comprehendentem) quæ in animalibus animam constituit, & priorem ut binarius unitatem in sese habens perficit; tertiam *rationalem*, intellectu & voluntate constantem, quæ hominibus propria, & priores facultates itidem sub sese continet. Istæ facultates quomodo inter se & ab anima differant, num realiter an vero tantum ratione, alibi disputatur.

XXII. Nos animam hominis Spiritum esse quoad essentiam novimus, esse etiam hominis formam & actum primum, esse ob spirituales Naturam simplicem & immaterialem: attamen hanc simplicitatem infinitè à simplicitate Dei distare statuimus: solus enim Deus actus purissimus independens & Universalis, in quo principium, facultas & interna operatio plane idem sunt. Anima vero rationalis etsi ratione essentiæ sit ejusmodi actus qui est principium suarum actionum dirigens, imperans & exequens: attamen quia Spiritus creati simplicitas talis est, ut nihilominus compositionem (ut quidam loquuntur) ex subiecto & accidente, ex actu & potentia admittat: ideo principium imperans seu voluntas ab ipsa facultate, quæ ejus promptitudo volendi, & facultas volendi ab actu volitionis; sicut & principium dirigens seu intellectus, à facultate intelligendi, & hæc ab actu intellectionis differt. Ego ergo haut quam negaverim, DEUM per omnipotentiam suam in naturalem spiritum ita agere posse, ut manente spirituali ejus essentia, nihilominus facultas aliqua mutetur vel tollatur: qui, nisi ex Dei voluntate Spiritus ita creatus esset, ut in æternum substantia ejus maneat, DEUM posse etiam Spiritum quoad essentiam, ex infinitate suæ potentiæ, sicut per illam ex nihilo produxit, in nihilum redigere, haut negaverim.

XXIII. Quod si ergo *facultates animæ Adami*, post lapsum, antequam quicquam gratiæ novæ per verbum promissionis in orbem vel ad ipsum allatum esset & quidem *superiores* quoad *intellectum & voluntatem*, atq; *ratione objecti salutaris* DEO placentis considerentur: ibi asserimus ipsas plane nihil illius veri intelligere, boni velle potuisse: idq; *non tantum propter defectum objecti*, Evangelij nondum revelati; nec etiam *tantum propter externum ligamentum*, facultatis sensitivæ post lapsum ordine inverso & corrupto prædominantis & quasi vinculis corporeis (sicut aviculæ laqueis con-

Ari-



strictæ volare nequeunt ) intellectum detinentis; nec tantum propter  
internum accidentale impedimentum, vim & efficaciam naturalem fa-  
cultatis reprimentis, sicuti cum Magnes alii succolinitur, vis ejus na-  
turalis attrahendi ferrum non tollitur (sunt verba F.C. anathem. 5. p. 576)  
sed tantum impeditur. Verum etiamsi (ait Declar. F.C. p. 657.) inge-  
niosissimi & doctissimi homines Evangelium, & promissiones  
audiant, tamen ea proprijs viribus percipere, credere & vera esse statu-  
ere nequeunt: quia (p. 658.) S. litera docent hominem in peccatis, non  
tantummodo languidum aut agrotum verum etiam prorsus mortuum  
esse. Scriptura hominis naturalis intellectui cordi & voluntati, omnem  
aptitudinem capacitatem ac facultatem in rebus spiritualibus aliquid bo-  
ni & recti (ex semet ipso) cogitandi, intelligendi inchoandi, volendi adi-  
mit: Est impotentia: Deus initium tanquam flammulam accendit  
p. 659. in hisce nullam agendi facultatem habet p. 696. Hinc p. 642. ut  
Pelagianus error damatur, quod anima quoad res spirituales in poten-  
tiis suis naturalibus integra sit: quod sit corruptio tantum accidentium,  
ac qualitatum, cum qua & sub qua nihilominus natura suam bonitatem  
& vires, etiam in rebus spiritualibus habeat & retineat. Summatim:  
caruit anima Adami isto tempore facultate illa intellectus & volun-  
tatis, quæ ad bonum & verum salutare Deo placens dirigitur, cum  
antea esset essentiæ animæ illa facultas naturalis: & quando eidem  
& posteris à Deo rursus donatur, non est Naturæ, sed ut Scriptura  
loquitur, noviter creatum opus Gratia.

XXIV. Corpus hominis quod attinet, habet illud sua membra or-  
ganica, partes similes & dissimiles aptas & in certa symmetria  
dispositas, ut anima suas operationes per corpus edere possit. Atq;  
Adamus illa omnia ita, ut ante fuerant, retinuit, illisq; ad perizomata  
construenda usus fuit. Verum quemadmodum jam ex posteris  
Adæ, propter illud peccatum mutili & membris diversis carentes  
nascuntur; quemadmodum maleficis à carnifice membra frangun-  
tur, quædam adimuntur, ipsum cor quandoq; vivo adhuc excindi-  
tur; quemadmodum varia monstra, *συμμετρίαν* corporis organici  
non perfectè imo vix habentia, jam post lapsum nascuntur. Imo  
quemadmodum Dæmoniaci, Deo permittente, ita misere à Satana tor-  
quentur, ut ne externam figuram quidem corporis humani retine-  
ant: ita idem Adamum pro merito fuisse; idem per divinum judi-  
cium



cium in corpore ejusdem, durante illa mora, executione dari potuisse, quis ambigat? de morbis & ejusmodi corruptionibus postea acturi sumus.

XXXV. Quod si Christum in cruce morientem juxta hunc typum adspicias, sanctissimæ huic animæ Facultatem intelligendi verum & volendi bonum Deo gratissimum unquam defuisse, ut concedamus, absit à nobis longissimè. Sed ut Natura humana etiam in morte integra fuit; sic & anima sive in corpore sive tempore mortis extra corpus esset suas semper facultates integras retinuit omnes. At vero cum in gravissima passione objectum omnium molestissimum, peccatum, & quæ illud sequuntur infinita mala, intellectui offerretur, illeq; ita hostiliter impugnaretur, ut ipse de se dicat *Job. XII. 27. συνέχουαι coarctor. Anima mea περιλυπος circumquaq; tristis est*, atque inciperet *ἐκταυβείδω ἀδημονεῖν, λυπεῖδω ἐν ἀγωνίᾳ Matth. XXVI. 37. Mar. XIV. 33. 34. Luc. XXII. 44.* anxietasq; sanguineum sudorem excuteret: Certe tunc sanctissima hæc anima ita impugnata fuit, ut nisi infinitam virtutem ex unione personali communicatam habuisset, seseq; illa per hanc ipsam animam in conflictu isto exseruisset, omnes animæ facultates debilitatæ, si non pessundatæ plane fuissent. Sic & sanctissimum corpus mutilandum, os confringendum non fuit *Job. XIX.* in illud tamen immanissime ita sævierunt impiissimi milites, cum flagris conscinderent huc illud traherent, raperent, in cruce extenderent, ut in frustra, cute undiquaq; lacera membra non amplius continere valente, discerptum fuisset: nisi eadem divina potentia integritatem membrorum supra naturali virtute conservasset. Ad corporis humani tamen integritatem sanguis pertinet, qui hic maximi æstimandus, cui, ut vehiculo, & proximo animæ organo, vitam Scriptura assignat, *Lev. XVII. 11, 14.* ille in Christi passione non guttatim ut in circumcisione, & principio passionis, agone nempe; sed ubertim effusus, adeo ut & ultima in corde residua guttula, eodem lanceâ aperto, educta sit, atque cum aqua effluerit. Hoc sanguine expiatio tuorum peccatorum per acta, hujus effusione deperdita integritas tibi restituta, hujus inæstimabili pretio æterna salus atque gloria tibi parta fuit.

XXVI. Ad PERFECTIONES HOMINIS NATURALES porro, transeundum. *Perfectionum Naturalium nomine hic nobis veni-*



veniunt, *tum actus*, quos facultates hominis naturales objecto ob-  
lato conveniente edere possunt: *tum habitus* concreati, homini  
subjective inhærentes, & naturali generatione, in illo statu si ho-  
mo permansisset, propagandi, qui nomine imaginis divinæ in  
Scholis veniunt. *Facultates humane*, per lapsum turbatae,  
suoque, quem ex creatione habebant, ordine dejectæ sunt,  
hinc confusio inter actiones earundem & harum mutua pugna  
exorta est. Porro *Facultatum* naturalium *objectum* diversum,  
actiones diversimode considerandas proponit; triplex illud est  
*naturale, morale & cæleste*. *Circa objectum naturale*, ut sunt cibus,  
potus, aliaq; sensibilia, actiones humane post lapsum multis mo-  
dis corruptæ, hinc molesta fames, sitis, nuditas frigoris & caloris  
impatiens; hinc errores varii circa ipsa sensuum objecta; hinc  
morbi aliique defectus suboriuntur. *Circa objectum morale*, sub  
quo etiam artificiale comprehendimus, ut virtus moralis simul  
& intellectualis hic conjungantur; innumera vitia sive in ex-  
cessu sive in defectu peccantia occurrunt: totque & tanti in in-  
tellectu & voluntate aberrationes, ut ingenui omnes fateantur  
multum à perfectione sese abesse: Et licet heroicæ quædam actio-  
nes inveniantur (quas ad gratiam Calviniani quidam male refe-  
runt) à perfectione tamen & illæ absunt. Quot vitia lapsum  
Adami statim consecuta sint, secundum ordinem præceptorum  
Decalogi nostri Theologi enumerare solent: Et in artificio pri-  
mo sartorio, quam imprudentem sese gesserit Adamus, perizo-  
mata ex foliis ficus confuta ostendunt: quæ sive ex ficu nostrate  
sive Indica, quæ hodie sic dicitur, contexta fuerint, ne utiquam  
fini, cujus causa fiebant, conveniebant. Aliam ficum Indicam,  
*Musam* dictam, folia habere tres cubitos longa, refert *Garzias l. 2.*  
*c. 10. Navig. Oriental. par. 4. c. 11.* inepta vero illa esse ad amicula,  
cum rimis hiscant & à vento lacarentur. En artificem egregium  
Adamum post lapsum! *Circa objectum cæleste* quantum ad verum  
Dei cultum ipsi placentem attinet, supra ostendimus, ipsam fa-  
cultatem amissam esse: frustra ergo est, ut de actionibus sive in-  
tellectus, quoad veram agnitionem, sive voluntatis quoad vene-  
rationem, sive inferiorum virium quoad internum vel externum  
Deo placentem cultum, porro inquiramus. Quod actiones Pæ-  
dago-

C

dago-



dagogicas concernit, in quantum illæ ordine à Deo institutæ, ad conversionem respiciunt, homini non renato non omnia denegamus. Sed hoc humano generi non ex creatione superfuit; verum per primam in verbo promissionis promulgatam gratiam illi donatum est; ut cum diaboli in omnem æternitatem incapaces omnis gratiæ maneant, nec licet verbum Dei & ipsi audiant, iste auditus Pædagogia talis de qua hic agitur esse possit; humanum genus tamen sit subjectum passivum, in quo per sensus à Deo relictos, illorumq; ministerio ad intellectum transferri possit id, quod Deus organum salutis constituit, & per quod in homine morosè non reluctantè conversione efficere decrevit. Ante revelationem ergo Protevangelii, istas in Adamo non invenimus. Non tamen omnem notitiam Dei, & generale illud, quod Deus colendus sit, homini post lapsum denegamus, sed ex notitiis naturalibus residuis, de quibus mox agendum, originem ejus deducimus, uti is intellectus hominis post lapsum adhuc instructus, per intellectus ulteriorem operationem aliquid de Deo naturaliter cognoscere, & notitiam hanc per collationem ex intuitu creaturarum augere possit. Ad illam vero scientiam, quæ hodie sub Theologiæ naturalis nomine venditatur, & ab illis quibus ex Scriptura conclusiones jam ante notæ fuerunt, per discursus è ratione petitos satis èleganter probatur, adductis etiam Ethnicorum Philosophorum, ( qui multa à Judæis acceperunt ) dictis, si ne hisce adminiculis naturalem rationem ex sese adscendere posse, ego mihi nondum patior persuaderi.

XXIV, Præter illam facultatem humanarum in objecta oblata agendi promptitudinem, exercitiumque earundem in ipso actu secundo, objectis actu oblatis perfectum; inerat præterea *subjectivè homini habitualis quedam perfectio*, in ipsa creatione implantata, quæ in ipsa anima insculptam habebat ideam sui primarii objecti quod intellectu cognoscendum, voluntate appetendum, omnibusque viribus amplexandum erat, illudque etiam actualiter semper agnoscebat, amabat, colebat, omnesque vires omnes itidem actiones ad illud ipsum referebat. *Imago illud DEI fuit Naturæ Humanæ necessarium consequens*, illam ut bonitati quæ inesse juxta primæ



primæ causæ voluntatem debebat, corresponderet *perficiens*, idq; non per acquisitionem, ut habitus *ἐπικτητός*, sed per implantationem ex ipsa creatione, ac proin etiam per naturalem *generationem* in omnes posteros propaganda; ut ita esset tale proprium consequens ex ipsa Natura, prout creata erat, proveniens, quod omni soli homini & semper inesse deberet, subjective, perfective, transitive.

XXV. Hanc excellentiam, qua ante lapsum fulgebat Adamus, per peccatum amisit, illaque privatus fuit: Sed non fuit hæc nuda & mera privatio sed corruptio talis, quæ contrarium subiecto simul inferebat & inferebat, *Cajetanus in Thom. 1. 2. 4. 284. 1. Privatio dat negationem in subiecto apto nato: corruptio addit positivum contrarium, fundans illam negationem.* Nec enim amissio illa facta est, ut naturalia in primo homine post lapsum manserint integra; sicut Pontificij opinantur, ita ut pugna, quæ jam inter hominis facultates occurrit, aliæq; inhærentes pravitates, ex ipsa natura, prout in substantialibus partibus ex creatione fuerat, profluant. Verum Natura quæ in homine ante lapsum ex creatione dulcissima harmonia in omnibus viribus corporis & animæ consentiebat, turbata & ab ordine suo dejecta fuit: & amissa pulcherrima Dei Imagine, contrariam peccati & Dæmonis larvam accepit, sicque (quod *F. C. p. 574. ex Ecclesie cantu* approbat: *Lapsus Adæ vipeffima, Humana tota massa, Natura & ipsa essentia, corrupta est luce cassa. Hæc quantum sit malum verbis revera est inexplicabile: neque humane rationis acumine indagari potest. Et Apol. Confess. p. 53. approbat illud Thomæ: Peccatum originis habet privationem originalis justitiæ, & cum hoc inordinatam dispositionem partium animæ, unde non est privatio pura, sed quidam habitus corruptus.* Est ergo post lapsum Adæ jam itidem Naturæ corruptæ necessarium consequens, illi ita proprium ut omni homini ex Adamo juxta Naturæ corruptæ cursum nascenti inhæreat subjective & transitive. Neque per Naturæ vires hæc corruptio tolli potest sed semper inhæret, *Intellectum excoecans, voluntatem contra Deum cum omnibus viribus inferioribus incitans, nisi divina virtute per gratiã impeditur & tolleretur.* Isteq; *habit* peccaminosus, non est acquisi-



ens sed innatus & per generationem naturaliter propagatur, ut homo  
Natura ex ipsa nativitate peccator & sub ira sit. *Eph. II.*

XXV. Ita ergo post lapsum in miserrimo Adamo, *Imaginis di-  
vine defectum, & corruptionis contraria habitum* deprehendimus, in  
*intellectu* hominis fulserat ante ex imagine Dei clara notitia Dei,  
& creaturarum, ad Deum ducentium; hanc amisit, & successerunt  
tenebræ, non tantum ignorantes Deum; sed etiam contrariam  
dubitationem & negationem afferentes: quod nempe possit  
se se coram Deo occultare, & foliis ficus oculos obvelare, h. e. *ejus  
omniscientiam* negare: quod Deum liceat accusare, quasi uxorem  
dando causa peccati sit; h. e. *ejus bonitatem & justitiam* negare: :  
quod Dei manum occultando effugere possit; h. e. *ejus omnipo-  
tentiam & omnipresenciam* negare, seu quod idem est: residuam il-  
lam de Deo in anima Ideam ex creaturarum contemplatione au-  
gendam, tollere velle, & Deum, quem confiteri tota Natura  
compellit, in Diabolum transformare, omnibusque creaturis, si  
possibile foret, propriaque adeo uxore ad negandum DEUM  
abuti. *In voluntate* Adami fuerat conformitas cum lege Dei, ple-  
nâ cum libertate & sanctitate, dilectione Dei & proximi ardens:  
hanc quoque amisit atque succelsit legi divinæ plane contraria  
pravitas, per servilem timorē Deum ex odio fugiebat & averfabat-  
ur; peccatum suum excusando, accusat Deum, conjugem; Ser-  
vusque peccati factus omnibus pravis affectibus erat subjectus.  
*In appetitu sensitivo & viribus inferioribus* antea fuerat spontanea sub-  
jectio menti, secundum normam legis divinæ, istum & has regen-  
ti: at post lapsum ea non amplius admittunt regimen, nudi-  
tas ipsi fit dedecori, cujus antea non pudebat, viget incontinētia;  
adeoque in internis & externis hominis operibus plane inversus  
invenitur Decalogus: Et quia ex Imagine Dei ad corpus *impassi-  
bilitas*, ad totum hominem *immortalitas*, in totum deniq; univer-  
sum *dominium* promanabat: *Illa* periit, ut nuditas non tantum  
dedecori sed & dolori esset, corpus hominis omnibus omnium  
creaturarum injuriis expositum extrinsecus, intrinsecus verò per  
*δυσκασίαν* abortam in seipsum, omnibus morborum generibus  
subjectum, pugnare: hinc tot labores & sudores in obeundis vitæ  
munis, quæ alias sine ulla difficultate peracta fuissent: hinc tam  
varia



varia & infinita ferme morborum genera mortis certissimæ prodromi, & successive membra quandoque enecantia atque ad putredinem deducunt: *Ista*, vero nempe immortalitas, plane erat amissa, mortalitas successerat quoad potentiam proximam, moriendi necessitas incumberebat; mors ipsa quovis momento actu infligenda expectabatur. Hoc tandem etiam ablatum, creaturis antea sponte subjectis, in peccatorem Communi omnium Domino rebellem insurgentibus; ita ut etiam mollissimus aer, frigore vel calore molestus atque noxius evaderet.

XXVI. Non negamus interim mansisse in Adamo quasdam *imaginis divinæ reliquias* residuas, quæ sese etiam ante promulgatum Evangelium exseruerunt: sed splendidæ olim arcis deformata rudera, quæ non poterant non, juxta illum statum, male applicari. *Esse Deum novit*, nec poterat lapsus illam notitiam plane obliterare: sed sibi ipsi contrarius corde & factis negat, ut *thes. preced.* vidimus *Esse DEUM justum, potentem, vindicem malorum novit*, hinc timorem fatetur: sed itidem sibi ipsi contrarius, accusat ut autorem iniquitatis, ipsum ut ignarum fallere manusque ejus se effugere h. e. Deum de throno dejicere se posse, putat. *Conscientia* ipsius de *reliquiis & opere legis in corde inscripto* testatur: Eratque in protoplastis instar legis obligantis ad bonum, judicis testificantis de facto, judicis accusantis ob malum, carnificis tantum poenas semper exigentis: Nisi enim in ipsis mansisset adhuc aliquod discrimen honestorum & turpium: non adeo trepidassent, seipsum accusassent, sese occultassent, excusationes quæsiuissent. Sed in applicatione & *ratiocinationibus evanescebant Rom. I. 21.* atque omnia ad Deum oppugnandum invertabant; ostendentes *Ὀρόνυα & σιγνός* esse inimicitiam adversus Deum *Rom. VIII 7.* Remota gratia, ait *August. l. 14. de Civ. Dei, v. 17.* ut poenâ reciproca inobedientia plecteretur, extitit (1) in motu corporis quædam impudens novitas, (2) unde esset indecens nuditas, (3) & fecit attentos (4) reddiditque confusos. Primum defectum; secundum ejus agnitionem atque sensum; tertium conscientiæ Examen & judicium; quartum evanescentem eventum desperationi proximum ostendit.

XXVII. Si denuo juxta hunc *miseriæ typum, Salvatorem nostrum*



strum consideraverimus; invenimus quædam, quæ in sese vitiosa vel etiam vitiis adhærentibus contaminata sunt, quæ Christo ita simpliciter assignare non possumus. Imago Dei carere hominem, ad quam creatus est, vitiosum est; nasci sine vera agnitione, timore & amore Dei, vitiosum est: Notitia Dei innata contra Deum abuti, voluntatem à Deo aversam habere, Deumque impugnare, vitiosum est. At ista omnia per lapsum Adæ invecata, Naturæ humanæ corruptæ ut hæreditaria adhærent. In Redemptore vero Christo nunquam locum habuerunt. Humanitas hæc *sanctum ex Maria natum. Luc. I. 35.* in primo conceptionis momento vocatur: at sanctitas ad descriptionem Imaginis Dei pertinet *Eph. IV, 24. ab utero & uberibus fiduciam in Deum habuit Esa. XXII. 10. Vere interim langviores nostros ipse tulit, & dolores nostros portavit Es. LIII. 4.* Coram Deo quidem omnium ex lapsu profluentium peccatorum imputatione & sufficiente poenarum iisdem promeritarum perpessione: *occurrere in eum fecit Deus iniquitatem omnium nostrum v. 6.* Lapsus Adæ, Ebrietas Noachi, incestus Lothi, adulterium Davidis, quin & homicidium Caini, proditio Judæ, & malitia ipsum crucifigentium ei imputata; & poena omnibus illis sceleribus debita ab ipso suscepta & exantlata fuit: quæ certe infernalis fuit graviorque quam vel improbilissimus in gehenna sustinet; cum & illius & reliquorum omnium suppliciis æquipolleat. *In ac coram mundo vero eadem portavit tum susceptione infirmitatum generalium, quæ non in sese corruptionem vel peccaminosam vel essentia humanæ destructivam, quales morbi sunt, continebant; tum insuper accusatione iniqua de gravissimis criminibus. Intellectus ejus sanctissimus in statu Exinanitionis (in qua habitualium donorum exercitium retraxit) non caruit ignorantia: sine tamen veri negatione aut prava dispositione: accusatus vero de hac fuit, quasi Eli Eli exclamando, verum Deum ignorando, Eliam adorasset. Voluntas ejus à perfectissima obedientia nunquam deflectens, molestissimo objecto ita excruciatâ fuit, ut calicis translationem expeteret in hoc ipso tamen divinæ voluntati sese plane submittens: nihilominus accusatur ut legis prævaricator, cui secundum legem moriendum, J. XIX. 7. ut κακοποιός J. XIX. 30, accusatur ut blasphemus in Deum*  
contra



contra Primam, ut seditiosus contra Secundam Tabulam, sicque  
in simulatur in super inordinatorum affectuum in ipsum actum  
etumpentium, hinc vinculis constringitur, clavis affigitur,  
quasi ad inhibendas sceleratas actiones hoc ipsum pro merito  
esset. Ex passionibus etiam istis sponte in sanctissimum corpus  
receptis, acutissimos atque gravissimos sentit dolores, nullo  
membro à capite usque ad calcaneum à flagellis & spinis immuni;  
oculi obtenebrescunt, aures diabolicis sarcasmis perstrepunt, lin-  
gua siti arefcit, & tandem omnis sensus, motus omnis deficit, non  
homini sed vermi *Ps. XXII.* imo ne huic quidem in morte similis,  
sed Tibi ita, ô homo! similitudinem cum Deo reparavit, tuos dolo-  
res, tuos defectus abstulit, te à passione damnabili & æterna libe-  
ravit tibi sanitatem dominium & salutem ita acquisivit.

XXIIX. DE DONIS GRATIOSIS SUPERNATURALI-  
BUS tandem 4. agendum; & illa enim in statu Integritatis Ada-  
mo à signamus, secus atque alij nobis objiciunt: fundamentum  
vero eorundem in Imagine Dei constituimus, unde aliqui Formale  
Relativum Imaginis, Dei inhabitantis gratiam, faciunt: omni-  
no enim gratissima Sp. S. templa, Protoplastæ fuerunt. Creato  
homine omnium creaturarum complemento, Deus quievit *Gen.  
II, 2.* thalamo in quo quiescens cubaret in corde hominis extru-  
cto. Imago & similitudo amoris mater: Dei amorem ergo,  
Imagine Dei in creatione exornatum cor, ad se magnetica quasi  
vi attraxit: similitudine sua gaudens, Deus se ei univit: Hinc cre-  
berrima & dulcissima Dei & hominis colloquia, gratissimaq;  
Dei cum homine conversatio. Amisit hoc summum suum bo-  
num Adamus & se ipsum eodem privavit, atque è statu amoris ac  
favoris divini in statum iræ atque odii se atque totam posterita-  
tem præcipitavit: ut jam homines sint *Natura Filii iræ Eph. II. 3. ini-  
mici Dei Rom. V, 10 super quos ira Dei est, & nisi per fidem in Christum  
tollatur, manet Job III, 36.* Hic certe Adamus longe miserrimus fa-  
ctus est: Iratum gravis est res habuisse Deum. Ira Dei infiniti  
infinita est, finito ergo intellectui incomprehensibilis, ori & lin-  
guæ ineffabilis sed & plane intolerabilis. In infernalibus sup-  
plicis illud gravissimum, quod ira Dei super illos manet: hæc  
ignem



ignem infernalem accendit; hæc in illo ardentem, gravissime urit,  
Illius cuius faciem videre indigni æstimantur, iram sentiunt, nec  
unquam subterfugere possunt. Sentiebant illam post lapsum  
Adamus, hinc latebras quærit, fugit, sed effugere illam nequit,  
& cujus alloquio externo & interno solatio privatus, ejus tamen  
manum sentit, trepidus extimescit atq; omni spe destitutus, incer-  
tus de eventu, desperabundo similis existit, usq; dum voce Dei *Ubi es?*  
quæ juxta Chrysostomum, vim misericordie cum charitate conjunctam  
habebat, à præcipitio revocaretur.

XXIX. Hanc Dei Iram Redemptor tuus dulcissimus expertus  
in summo gradu fuit, Audi gravissimam ejus querelam, *Psalm.*  
*LXXXVIII. 7. & seqq. Posuisti me in lacu inferorum, in tenebris in pro-*  
*fundis. Super me fulta est excandescencia, & cunctis procellis tuis af-*  
*fluxisti. Portavi terrores tuos perturbatus, super me transierunt iræ*  
*tua: terrores tui succiderunt me. Circumdederunt me sicut aqua, tota*  
*die ambierunt super me pariter. Audi querulam ejus in cruce vo-*  
*cem Deus meus ut quid me dereliquisti. Tui causa ô fidelis anima*  
hæc sustinuit, tui causa ita exclamavit: ut tu liber ab ira esses in die  
iræ: ut tu per Christum, Patris ira placata ipsique reconciliatus, ex  
statu iræ in statum gratiæ translatus, Dei templum, gratiæ cœlestis  
thronus, misericordie æternæ habitaculum, & amoris divini spe-  
culum; Dei Patris filius: Filii sponsa. Sp. S. peculium gratissimum  
& dilectissimum fieres. *Tibi ô Christe Jesu diligenti nos & lavanti nos*  
*â peccatis nostris in sanguine tuo, & facienti Reges & Sacerdotes, Deo &*  
*Patri tuo, Tibi Gloria & Robur in secula seculorum Amen.*

## BONAVENTURA

*Totum sit quod ego dixi,  
Ad honorem crucifixi,  
Ad laudem & gloriam,  
Tu meorum peccatorum  
Gloriose Rex cœlorum  
Mibi dones veniam.*



05 A 1457

**ULB Halle** 3  
003 777 820



1017











17

*JESU!*  
**ERRIMUS,**  
**NTIS TYPUS,**

*E*  
*Excellentissimo*  
**LYSERO, S.S.**

*nia Witebergensis Professo-*  
*phoro, & Ecclesiae Misnensis*  
*& Promotore suo sub-*  
*grando,*

**VO VOLHARDO,**

*ontemplandum*  
*de Septibus*  
*A. 1689*  
*& loco ordinariis.*

*GÆ*  
**neri, Acad. Typogr.**  
**XLVI.**